



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Fasciculus LXVI. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## FASCICULUS LXVI.

## Doctrinarum Moralium &amp; Asceticarum.

## Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. Propheta Jonæ, in quo describitur Inobedientia Jonæ in Ninivem missi, & ortâ in mari tempestate in illud projecti.

N. 412. Considera: **C**Hristianum hominem divinis inspirationibus non obsequentem imitari Jonam, de quo citatô cap. S. Scriptura v. 3. testatur: quòd fugerit à facie Domini. Verùm talis horribiliorem adhuc tempestatem in caput suum provocabit, quàm in se provocaverit Jonas, dum infernales procellæ contra illum insurgent, à quibus obruendus erit. Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui respiceret, & increpationes meas neglexistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo. Prov. 1. v. 24. Lazarus non tantum utrâque aure surdus, sed & totò corpore mortuus erat, & tamen ad primam Christi vocem foras exire jussus prodiit etiam ligatus pedes & manus. Tot verò Christiani corpus vivacissimum, aures sanas, membra expedita circumferunt, tamen non ad unam dumtaxat Christi vocem, sed etiam ad millenas surdos se demonstrant. In quos invehitur Richardus à S. Victore de Arca Myst. lib. 4. c. 13. dicens: O viscera dura! usquequò fatigas dilectum tuum? & ei non vis aperire? vocat te, & non vis eum audire? pulsat semel & iterum, & tamen eum expectare jubes? &c. Testatur regius vates: ipsa etiam chrystalla ad verbum Dei liquefieri Psal. 147. homines autem vera fide imbuti, tam frequenti Spiritûs Sancti calore inflammati, tot piis aliorum exemplis admoniti, tot minis instigati, eò venire renuunt, quò eos vocat Deus? vereor: illos non surdâ aure aliquando excepturos vocem illam tremendi Judicis, quâ cum rebellibus Angelis in mare tartareum erunt detrudendi. Christiane Lector, si & tu hucusque divinæ vocationi & supernis inspirationibus surdas objecisti aures, dole, & hodie: si denuò vocem ejus audieris, noli obdurare cor tuum: sed Magdalenam poenitentem imiteris, quæ Lucæ 7. ut cognovit, quòd Christus accubisset in Domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò  
secus

secus pedes, lacrymâs cœpit rigare pedes ejus &c. En! quomodo illam non retardet timor alicujus infamæ, vel difficultas pœnitentiæ. Puta tibi à Christo dici illud Joannis 7. dictum ad Discipulos; ad huc modicum tempus vobiscum sum. Aut inculcari tibi illud Jonæ: adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur. Christus sæpè transeundò tantùm operatus legitur salutem hominum testibus Matthæo & Zachæo, ad pœnitentiam in transitu dispositis. Quare vocanti ociùs obtempera, ne te prætereat, cum vocat Electos ad gloriam.

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 2. Propheta Jonæ, in quo describitur: quomodo projectus in Mare Jonas à pisce devoratus, sed Deo spondens sacrificium, iterum liberatus sit.*

Considera: **A** Nimabus fidelium, è corpoce ad æternitatem abeun- N.413.  
tibus; si deferant residuas quasdam peccatorum maculas, idem obtingere, quod obtigit Jonæ, in Tharsum naviganti; Is enim temporali pœnâ suam luiturus inobedientiam, in mare præcipitatus est, & ventri piscis tanquam obscurissimo carceri inclusus exclamavit v. 4. capitis cit. *projecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me. Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me tanserunt, & ego dixi: abjectus sum à conspectu oculorum tuorum; veruntamen rursus videbo Templum Sanctum tuum &c.* non dispares hêrcle in voces animæ illæ sua resolvunt ora inter purgantium flammularum procellas tumultatæ, & horrido carceri ad temporale supplicium inclusæ, licet certæ sint de videndo quondam cum Jona Templo Domini. Sicut verò Jonas iratum sibi Numen promissò Sacrificiò ad Misericordiam commovit, v. 10. citati cap. adeò, ut illæsus exierit piscem, asserente S. Scripturâ: *& dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam, ita præsentissimum remedium detentæ in purgatorio animæ repositum habent in illo sacrificio, quod nos Catholici Missam appellamus. Sciebat hoc S. Monica; & hinc aliud suffragium sibi post mortem impendi noluit, quàm hoc ipsum, ut refert S. Augustinus ejus filius dicens: tantummodò memoriam sui ad Altare fieri desideravit, cui nullius diei prætermisione servierat. Unde sciebat dispensari Victimam sacram, quâ deletum est chyrographum, quod erat contra-*  
rium

rium nobis. Hugo Aetherianus de egressu animarum tractans, & personam agens animarum purgantium, Sacerdotes alloquitur: *Vestrum adiutorium nunc opus est, ut pro nobis paschalem victimam offeratis, Agnum salutarem, qui tollit peccatum mundi, sic verè nos de Barathro Inferni educere potestis.* Præfatæ animæ in illas audiuntur voces erumpere in quas filii Israël arctâ obsidione pressi Thren. 2. eruperunt gemente Prophetâ: Matribus suis dixerunt: *ubi est triticum & vinum?* quodnam verò aliud vinum sitiunt illæ, quàm quod est vinum germinans virgines, sanguineo colore agni immaculati tinctum, expressum ex uva, è stipite Crucis pendente? quoniam panis alius, quem illæ esuriunt, quàm qui de se ipso testatur: *Ego sum panis vivus, qui manducat hunc panem, vivet in æternum?* Mirabilis visio Apocal. 6. obtigit Joanni: *Vidi, inquit Apostolus, subtus Altare animas intersectorum propter Verbum Dei.* Quid hoc: quod animæ in gratia Dei defunctæ alium non occupent locum, quàm subtus Altare Dei? habentne ibi, quod Ipsis solatio & refrigerio sit? habent haud dubiè, ait S. August. apud Settelin spiritual. agriculturæ p. 4. habent nullibi plus refrigerii, quàm quod ab Altari facro, in quo Sacerdos Agnum immolat sine macula, refocillantur: abinde plus pasti, quàm prandiò suò Daniel, quod ei leonibus circumdato Habacuc detulit. Quin imò teste Zachariâ Prophetâ de animabus, hęc Nectare cœlesti refectis, dici verissimè poterit: *in sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu.* Quare Christiane Sacerdos exaudi animarum adhuc purgantium querulas voces, quæ tuis auribus tam frequenter insonant. Accipe à Tobia seniore salubre illud monitum c. 1. dicentis: *panem & vinum super sepulturam Justis constitue.* Panem inquam & vinum illud, quorum hucusque memini. Imitare Davidem, qui 2. Reg. 9. tam sollicitâ indagine quæsit: num superesset aliquis de Domo Saul, ut faceret cum eo Misericordiam Dei? utque à Siba intellexit: superesse filium Jonathæ debilem pedibus exclamavit ocius: *ne timeas, quia faciens faciam in te Misericordiam,*  
*eligendò illum in hospitem suæ regalis*  
*Mensæ.*

Doctri-

## Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 3. Jona Propheta, in quo describitur Pœnitentia Ninivitarum secuta ad prædicationem Jona, & venia ipsis à Deo data.

Considera: **R**egem Ninivitarum hominis ritè verèque pœnitentis N. 414.  
 exemplar existisse, cui non suffecerat, de peccatis dolere, & ea detestari; sed ut omnem peccandi habitum cum actibus malis exueret, cunctas vestes exuit, locò illarum indutus cinere & ciliciò. Est proh dolor! reperire plurimos Christianorum, qui patrata crimina dolorosè quidem in confessionali deponunt: sed vix Ecclesias egressi, deteriori lapsu in ea corruunt; eò quòd de exuenda peccati consuetudine non sint solliciti. Contra hos Isaias intonat c. 5. inquit; *Va! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Qui funiculi eò fortius tunc constringuntur, quò homines constricti minùs cogitant de iis resolvendis. Ipsum peccatum actu quidem per pœnitentiam expulsam, habitu tamen permanens clamat cum Dæmone, Matthæi 12. ejecto è corpore, quod possederat: *Revertar in Domum meam, unde exivi.* Luditque cum talibus ipse Dæmon, ut quidam pueri cum aviculis, quas filo alligatas in altum quandoque volare sinunt: at vix emissas retrahunt. Frequentibus plagis territi Ægyptii urgebant quidem Israëlitas, ut discessum maturarent: sed egressis jam iterum à tergo instabant, ut eos antiquæ subderent servituti, imò duriori adhuc, quàm ante jugò premendos. Non dispari modò ejusmodi pœnitentes tractat Dæmon, dum illi Ægyptum malæ vitæ per iter pœnitentiæ egressi, ad mare malæ occasionis tendunt, hostem à tergo hærentem jam habent, qui eos pejori effectu, quàm ante peccati jugo subicit. Meritò de talibus dixeris, quod canit Propheta Regius Psal. 106. *ascendunt usque ad Cælos, & descendunt usque ad abyssos.* Similes lulligoni, quæ ut refert Vincentius in spec. naturali, quandoque cum avibus in aëra se elevat, quandoque cum piscibus se immergit profundissimo mari. Verùm quid tandem ò miseri pœnitentes! quid vobis proderit hæc constans inconstantia? idem proderit, quod profuit Israëlitis, tam sæpe peccata repetentibus, de his dicitur Numeri 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in Populum percussit eum plagâ magnâ nimis.* Ninivitæ prædicante Jonâ conversi; postquam denuò ad consuetas voluptates & vitia

vitia rediēre, teste Corneliō à Lapide ab Arbace victi, & ad Medos translati fuēre. Pharaō post multiplices plagas antiquam repetens crudelitatem, in voracibus undis & in infernalibus flammis tandem sepultus est. Canonicus quidam, ut memorat S. Bonav. in vita S. Francisci, à gravi infirmitate signō S. Crucis curatus, & admonitus, ut relapsus vitaret, priorem paulō post reversus ad luxuriam, perpetrata in domo alterius Canonici, totā domō corruente solus periit, aliis, qui ibidem fuerant præsentes, penitus illæsis. Ejusmodi suppliciis territus Christiane Lector pœnitentiam age stabilem, cum actibus malis etiam exuendo habitum. Quod ut assequaris facilius, si deliquisti illicitis aspectibus, dic cum Jobo non verbis tantum sed & factis; pepigi fœdus cum oculis meis, ut de Virgine quidem nec cogitem ultra. Si peccaveris linguâ, cum eodem dicito: *manum meam ponam super os &c.* 39. cap. ut videlicet nec verbum ullum blasphemias, turpiloquium, detractionem, aut quidquam tale resonans mihi excidat. Si peccaveris manu, tunc cultrō mortificationis absconde hoc membrum, id exigente Christō, Matth. 18.

### Doctrina 4.

*Desumpta ex cap. 4. Propheta Jona, in quo describitur, quomodo Jona indemitatem Ninivitarum agrè ferens, umbraculum sibi fecerit, & typhō arresacta hedera sit à Deo redargutus.*

**N. 415. Considera:** **P**Lurimos peccatores imitari Jonam, umbraculum sibi facientem, quō ab immoderato solis æstu tegetur. Hi enim, ut calorem solis Justitiæ divinæ, salubrī terrore eorum corda affligentem abigant, umbracula quærunct varia, frequentandō lauta convivia, miscendō chartas & aleas, incumbendō venationi, spectandō lusus theatrales, ducendō hilares choreas. Verum sicut Jonæ, sic & his teste S. Scripturâ v. 5. citati cap. *paravit Dominus vermem, qui percussit hedera, & exaruit.* Vermis iste mala conscientia est, qui eorum corda tam grandī dolore cruciat, ut omnem voluptatum dulcedinem summā permutet amaritudine. Eant ergō illi longinquis itineribus, quoquō libet, vermem tamen sui tortorem secum trahent, & eant licet cursoriis equis, non erit conscientia vermi difficile, eos assequi; tametsi vermis cæteroquin animal sit, quod nonnisi rependō  
gra-

graditur. Eant ad chartas, ad ludos, ad choreas, ad convivium, ad theatra, comitem habebunt hunc vermem, coacti cum Propheta regio exclamare Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* Hinc non erit sapor in cibo & potu, non suavitas in concentu musico, non solamen in amicorum colloquio, non recreatio in lusu. *Quis unquam*, ait Innocentius lib. 1. de contemptu mundi: *diem duxit totum in sua delectatione jucundum? quem non in aliqua parte reatus conscientie turbavit?* Pellunus iste vermis in die serena obscurus est, in nocte terribilis, inter hystriones excitat tragedias, & omnes jocos intercipit tristitia. Nierembergius de art. vol. 1. 2. c. 36. memorat: Pelusios parricidium vindicatos, cum diu pro flagitii enormitate nullum torturae genus par invenissent; tandem suo ingenio savius quiddam excogitasse: pira scilicet matris naturae ferulam conscientiam, fancientes: ut parricida tri-duo cogeret spectare occisi cadaver, ut sic continuo sceleris hortatu puniretur reus omnium, quotquot excogitari possint, suppliciorum maximò. Quò facti genere videbantur insinuasse Pelusii: conscientiae rodentis torturam, caeteris omnibus crudelitate sua superiorem esse. Paradisum quis nescit, fuisse sedem voluptatis, nec in eo vel accusatorem, vel Judicem, vel aliqua vindictivae Justitiae instrumenta habuisse locum? ad duas tamen voces illas, etiam ore blandò prolatas: *Adam ubi es?* quasi fulmine ictus tremit Protoparens noster, fugit, abscondit se, & causam quaesitus reponit: *quia nudus eram.* Mentiris, à mendaci serpente deceptus Adam: non quia nudus incedis, sed quia peccator, à verme conscientiae stimulatus incedis, idèò trepidas, idèò fugis, & extremas quaeris latebras. At quas quaeris, non reperies; non enim est asylo locus, ubi carnifex tergo inhaeret, quod tuus ò Adam! natu major filius Cain, & plures alii peccatores, posterum tui profitebuntur. Frustra ille civitatem aedificabit, fortissimò circumdatam vallò, quod metum excluderet: erit hostis pessimus intra mœnia, in ipsis animi penetralibus habitaturus, adeoque intestinò tumultu bellòque turbabuntur intus omnia. Fiet inde, ut quemcumque sit habiturus obvium, credat sui interfectorem futurum. *Omnis, qui invenerit me, occidet me Genes. 4.* S. Augustinus merito lamentum illud ridet, quò Justii nonnunquam audiuntur conqueri Davidicis verbis: *Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus, qui pravariuntur? ridet inquam hoc lamentum Augustinus, & causam rrisus exponens ait Serm. 28. de vit. Apoll. Cum illo, nempe impio, poena sua est. Si haberet in cubicu-*

lo suo tortorem carnis impunitus esset. Habet in secreto cordis sui tortorem conscientia sua, & impunitus vocatur? hoc est, quod Deus per Prophetam suum Jeremiam cap. 14. intonat in peccatores, dicens: effundam super eos malum suum. q. d. non ego manum ponam ad flagella, quibus castigem eos: sufficiet, eos propriis culpâs, omnî flagellô meo acerbioribus, puniri. Hinc S. Ambros. peccatum viperæ partui comparat, quæ propriæ Matris pectus discerpens atque dilacerans eidem crudelissimam infert mortem. Juvenem ajunt Ferariæ vixisse, firmæ ut apparebat valetudinis: verum spem vitæ longioris ei mox inopinâ morte fuisse intercisam. Adductos quamprimùm, ad dicendam de hoc mortis genere sententiam Medicos, nil decidisse prius, quam emortui adolescentis dissectum cadaver inspexissent, in quo cum pulmones, jecur, splenem, ac cætera membra reperissent integra, nullaque tabe afflata, ne dum corrupta, in solo corde tandem invenisse vermem, illud scædè dilaniantem: erutum inde variisque liquoribus, quibus suffocaretur, immersum, innatasse omnibus, donec in succum, è cepis aliisque expressum coniectus, & natæ, & vivere desierit. Poterant utique Medici, nî experimenti capiendi causâ id egissent, unâ statim contritione extinguere hunc hostem. Hoc ipsum poteris & tu Christiane Lector! si sentias vermem rodentis conscientia; unicâ pectoris contritione opus erit confessioni conjuncta, sicque ab immani ejus laniena aternùm securus vives.



## FASCICULUS LXVII.

*Doctrinarum Moralium & Asceticarum.*

### Doctrina I.

*Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 1. Machabæorum, in quibus describuntur Alexandri Victoria & mors. Antiochi illustris Victoria. Despoliatio Templi Jerosolymitani. Mathathia luctus, sortitudo.*

N. 416. Considera:

**Q**ualis tandem finis Regum Potentiam & grandes eorum Triumphos Victoriasque coronet. Alexander interfectis tot Regibus, subactis tot Populis, expugna-